

1552 rum copiae octo & triginta peditum, quatuor equitum selectorum millibus, bellorum usu, ac militaris virtutis opinione in Germania insigniores ductabant. His septuaginta varii generis tormenta addebantur; iter, ut Caesarem imparatum opprimerent, quamcelerrime conficere nitebantur. Nec deerant qui adventantis periculi metu perterriti, cum impar ad hostium impetus sustinendos esset, Caesarem ad proficiscendum in Italiam hortarentur; Ferdinando Gonzaga in primis suadente, qui, Parma ac Mirandula acriori obsidione cinctis, Galliarum Regem a susceptis consiliis ad urbes in Italia constitutas tuendas abduci, ac bellum a Germania in Italiam transferri posse arbitraretur. Verum ab ea sententia Caesar abducebatur, quod Venetos, ne Salernitani Principis impulsu cum Gallis foedus inirent, perque Reipublicae fines tutum sibi iter minime foret, vereretur. Neque satis Herculi, Ferrariæ Duci, ob amicitiam Regis fideret; cum praesertim per eos dies quinque peditum millia, atque haud exiguum equitatum coegisset, ne Reginus ager a Caesareanis Parmam obsidentibus vexaretur. Inter has consiliorum ambiguitates dum Caesar versatur, foederati Augusta, Nemetum, Ulmam contendunt, cives cuncta ad oppidum tuendum expediunt; inde mora injecta, eo metu Caesareani liberati sunt, quo ne inopinantes ab hostibus opprimerentur, veriti fuerant; denuoque pacis spes oborta, cum Mauritius, ac Bajoariae Dux Lincium Romanorum Regem allocuturi convenissent. Foederati, Ulma frustra oppugnata, egregiam in ea tuenda civium constantiam experti, quindecim dierum inducias, ut de pace ageretur, pepigere.

De iis, quæ in Germania gerebantur, nuntiis Romam allatis, Augustam ad foederatos transisse, Caesarem Antistites, qui Tridenti convenerant, ut in eam se civitatem reciperet, dimisisse; Julius Pontifex Maximus animo haud parum perculsus, cum inde magnas rerum mutationes subsequuturas esse arbitraretur, Cardinalium collegio coacto decimosextimo kal. maji, Concilium in aliud tempus distulit, atque in biennium inducias cum Henrico ea conditione sancivit, ut a Parma, ac Mirandula copias abduceret, Caesar quoque, inde suis amotis, iisdem, si ei libuisset, comprehenderetur. Quo vero die ea acta sunt, Joannes Baptista Montius, Julii nepos, pontificiarum

*Induciae in-
ger Pontifi-
cum & Hen-
ricum Re-
gem.*

*Joannes
Baptista
Montius ad
Mirandula
mania in-
versus.*